

Johann Sleker    Andreas Muselius

## **Exercitatio Philosophica De Bono Et Perfecto**

Rostochii: Pedanus, 1612


**<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn742723755>**

Druck    Freier  Zugang



F. Leker.  
R. U. phil. 1612.







D. T. O. M. A.

Exercitatio Philosophica 6 5.  
170.

# DE BONO ET PERFECTO.

*In Inclytza Academia Rostochiensis*

PUBLICE PROPOSITA

à

M. JOHANNES SLEKERO  
Ph. P. P.

RESPONDENTE

ANDREA MUSELIO  
Reduvicensi Varifco

Haebitur disputatio in auditorio philosophico  
die 23. Decembris.



ROSTOCHII

*Typis exscripsit Joachimus Pedanus*

ANNO M. DC. XII.







Severini Boëthi opusculum, de eo, Quod omne  
quod est, bonum sit.

THESIS I.



*T*in Mathematica fieri solet, cæterisq; etiam disciplinis, proponam terminos regulasq;, quibus cuncta, quæ sequuntur, efficiam.

2. Communis animi conceptio, est propositio, quam quosq; probat, auditam.

3. Harum duplex modus est. Nam una ita communis est, ut omnium hominum sit: veluti si proponam hanc: Si duobus aequalibus aequalia auferas, quæ relinquuntur, aequalia esse.

Nullus id intelligens, neget.

4. Alia vero est doctorum tantum, quæ tamen ex talibus communibus animi conceptionibus venit; ut est: Quæ incorporalia sunt, in loco non esse: & cætera, quæ tamen non vulgus, sed docti comprobant.

5. II. Diversum est Esse & Id quod est, Ipsum enim Esse, nondum est. At vero quod est, accepta essendi forma, est atq; consistit.

6. III. Quod est, participare aliquo potest: sed ipsum esse nullo modo aliquo participat. Fit enim participatio, cum aliquid jam est. Est autem aliquid, cum esse susceperit.

7. IV. Id quod est, habere aliquid præterquam quod ipsum est, potest. Ipsum vero Esse, nihil aliud præter se habet admixtum.

8. V. Diversum est autem, esse aliquid, & esse aliquid in eo Quod est. Illic enim accidens; hic substantia significatur.

9. VI. Omne quod est, participat eo, quod est esse, ut sit; alio vero participat ut aliquid sit. At per hoc; id quod est, participat eo quod est esse, ut sit. Est vero ut particeps alio quolibet, omne simplex esse suum, & id quod est, unum habet.

10. VII. Omni composito, aliud, est esse. aliud ipsum est. Omne simplex esse suum & id quod est unum habet.

11. VIII. Omnis diversitas est discors; similitudo vero quadam appetenda est. Et quod appetit aliud, tale ipsum esse naturaliter ostenditur, quale est illud ipsum quod appetit.

12. Sufficiunt hæc quæ præmittantur. A prudente vero rationis interpretæ suis unumquodq; aptabitur argumentis.

13. Questio vero hujusmodi est, An ea quæ sunt, bona sint? Tenet enim



communis sententia doctorum, omne quod est ad bonum tendere. Omne autem tendit ad simile. Quae igitur ad bonum tendunt, bona ipsa sunt.

14. Sed Quomodo bona sunt? inquirendum est: utrumne participatione? An substantia.

15. Si participatione? per seipsa nullo modo bona sunt. Nam quod participatione album est, per se, in eo quod ipsum est, album non est. Et de ceteris qualitatibus eodem modo.

16. Si igitur participatione sunt bona ipsa; per se nullo modo bona sunt. Non igitur ad bona tendunt: quod tamen ante concessum est. Anne ergo substantia bona sunt, non participatione?

17. Quorum vero substantia bona est, id quod sunt, bona sunt. Id autem quod sunt, habent ex eo, quod est Ess. Esse igitur ipsorum bonorum est. Omnium igitur rerum, ipsum Ess. bonum est.

18. Sed si ess. bonum est; ea quae sunt, in eo quod sunt, bona sunt, Idemq; illud est. e. l., quod Bonum est.

19. Substantia ergo bona sunt; quia non participant bonitate. Quod si ipsum Ess. in eis bonum est; non est dubium, quin etiam substantia, cum sint bona, primo sint bono similia, ac per hoc ipsum bona erunt.

20. Nihil enim illi, praeter seipsam, simile est. Ex quo fit, ut omnia quae sunt, Deus sint; quod dictu nefas est.

21. Non sunt igitur substantia bona: ac per hoc non in his est esse bonum. Non sunt igitur in eo quod sunt, bona. Sed neq; participant bonitate, nullo enim modo ad bonum tenderent: nullo igitur modo sunt bona.

22. Huc quaestioni talis adhiberi poterit solutio. Multa sunt, quae cum separari actu non possint, animo tamen & cogitatione separantur. Ut cum triangulum vel caetera subjecta materiae, nullus actus separat; mente tamen segregans ipsum triangulum, proprietatemq; ejus praeter materiam speculatur.

23. Amoveamus igitur primi boni praesentiam paulisper ex animo: Et ponamus, Omnia quae sunt bona esse: atq; ea consideremus, quemadmodum bona esse possent, si à primo bono minime defluxissent.

24. Hinc intueor aliud in eis esse, quod Bona sunt: aliud, Quod sunt.

25. Ponatur enim una eademq; substantia, bona esse, alba, gravis, rotunda. Tunc aliud esset, ipsa illa substantia aliud, ejus rotunditas, aliud color, aliud bonitas. Nam si haec singula idem essent quod ipsa substantia; idem esset gravitas, quod color, quod bonum: & bonum, quod gravitas: Id quod fieri, natura non sinie  
Aliud.



26. Aliud igitur tunc in eis esset Esse, aliud aliquid esse; acta bona quidem essent: Esse tamen ipsam minime haberent bonum.

27. Igitur si nullo modo essent, non à bono ac bona essent, ac non idem essent quod bona: Sed eis aliud esse aliud bona esse.

28. Quod si nihil omnino aliud essent nisi bona: neq; gravia neq; colorata, neq; spaciū dimensione distenta, nec nulla in eis qualitas esset, nisi tantum bona essent: tunc non Res, sed rerum viderentur esse principium, nec potius viderentur, sed videretur.

29. Unum enim solumq; est huiusmodi, quod tantum est bonū, nihil aliudq; sit.

30. Quæ quoniam non sunt simplicia, nec esse omnino poterant, nisi ea id, quod solum bonum est, esse voluisset. Idcirco, quia esse illorum à boni voluntate defluxit, bona esse dicuntur.

31. Primum enim bonum, quoniam est, eo quod est, bonum est: Secundum vero bonum, quia ex eo defluxit, cuius ipsum esse bonum est, ipsum quoq; bonum est. Sed ipsum esse omnium rerum ex eo fluxit quod est primum bonum; & quod bonum tale est, ut recte dicatur in eo quod est, esse bonum.

32. Ipsum igitur esse eorum, bonum est. Tunc enim in eo quod essent non essent bona, si à primo bono non defluxissent.

33. Quæ in re soluta questio est. Idcirco enim licet in eo quod sint bona sint non sint tamen similia primo bono: quoniam non quoquomodo sint res, ipsum esse earum bonum est: Sed quoniam non potest esse, ut ipsum esse rerum non à primo esse defluerit, id est à bono.

34. Idcirco ipsum esse bonum est: nec simile tamen ei à quo est. Illud enim quoquomodo sit, bonum est, in eo quod est; non enim aliud est, præterquam quod bonum est. Hoc autem non ab illo nisi esset bonum, fortasse esse posset: Sed bonum in eo quod est, esse non posset.

35. Tunc enim participaret forsitan bono. Ipsum vero esse quod non haberent à bono, bonum habere non possent. Igitur sublato ab his primo bono mente & cogitatione: ista licet essent bona, tamen in eo quod essent, bona esse non possent.

36. Et quia actu non potuerunt existere, nisi illud ea, quod verè bonum est, produxisset: idcirco & esse eorum bonum est; & non est simile substantiali bono, id quod ab eo fluxit.

37. Et nisi ab eo fluxissent, licet essent bona, tamen in eo quod sunt bona esse non possent: Quoniam & præter bonum, & non ex bono essent, cum illud ipsum bonum primum, & ipsum esse sit, & ipsum bonum, & ipsum esse bonum.

38. At non etiam alba, in eo quod sunt alba, esse oportebit ea quæ alba sunt:



Aliud enim est esse, & aliud, alba esse. Hec ideo: quoniam qui ea ut essent effecit, bonus quidem est; minime vero albus.

39. Voluntatem igitur boni, comitata sunt, ut essent bona, in eo quod sunt. voluntatem vero albi non sunt comitata, ut talis ejus esset proprietas, ut esset album, in eo quod est. Neq; enim: ex voluntate albi defluerunt.

40. Itaq; quia voluit esse ea alba, qui erat non albus, sunt alba tantum. Quia vero voluit ea esse bona, qui bonus erat, sunt bona in eo quod sunt.

41. At secundum hanc rationem nonne cuncta oporteret esse justa? quia justus est, qui ea esse voluit? Ne haec quidem. Nam bonum esse, ad essentiam; justum vero esse, ad actum respicit.

42. Idem autem in eo est esse, quod agere. Idem igitur bonum esse, quod justum esse. Nobis vero non est idem, esse, quod agere: non n. simplices sumus.

43. Non est igitur nobis idem, bonos esse, quod justos. Sed idem esse, est nobis omnibus, in eo quod sumus. Bona igitur omnia sunt, non etiam justa.

44. Amplius; bonum quidem generale est; justum vero speciale. Nec species descendit in omnia. Idcirco alia quidem justa, alia non: omnia autem bona.

## DISSERTATIO SECUNDA.

### Thesis I.

**N**on hodie ergo vel heri demum in Ente quovis hac quaesita Bonitas est: neq; in angulo Scholasticae philosophiae ea reperta: vel à monachis demum celebrata est. Majorum ita gentium philosophi: ita inclyti illi in principibus Dei sacerdotibus nominis Theologi docuerunt, scripserunt.

2. Quorum si auctoritas assensum non meretur: suspensionem saltem movebit aliquam: & faciet, ut in contemplatione Entis constituti, Bonitatis considerationem haud immerito suscepisse videamur. Ex qua ultrò tandem efflorescet id, quod Aug. l. 83. quaest. 24. inquit, Omne quod est, in quantum est, bonum est.

3. Qua in re, cum omnis hujusc e disquisitionis versetur scopus, illud jam inter principia quasi positum sit, non de quavis, rei cujusvis bonitate (varietatem enim illam, quis ignorare potest? etiam vulgo cognitam) hic queri: Sed qua ipsius Entis, ex ipsa essentiae ratione prodit: Eidemq; adequata, cum eodem ad inferiora omnia, quatenus Entia sunt, descendit.

Tum.



4. Tum vero ne illud quidem obscurum, si qua Bona Boni-  
tatisq; acceptio Entis & Essentia  $\epsilon\upsilon\upsilon\alpha\upsilon\upsilon\mu\epsilon\upsilon$ ; eam & ipsam ab hac  
disquisitione esse alienam: utpote in qua tale quippiam investigan-  
dum sit, quod ab Ente, Metaphysica Subjecto, prodiens, ab eodem quo-  
dammodo distinctum. Ens tamen ipsum afficiat; ea prorsus ratione,  
quam in generali affectionum Entis questione adumbratam, exem-  
plo Unius delineavimus.

5. Ex quibus & hoc planum, rationem illam Enti superaddi-  
tam, qua facit ut Ens sit & dicatur Bonum, realiter ab Ente non di-  
stingui. Quod dum novis (ut sibi videtur) argumentorum cunicu-  
lus evertere conatur Timp. nos veteranum, cujus opera alias usi su-  
mus, illi in occursum mittimus hunc, quaesitum, Annon Ens, prius-  
quam reali illa bonitatis ratio ei vel accedat, vel accedere cogitetur,  
annon inquam Ens in se, natura sua jam bonum sit? annon tum bo-  
num aliquid erit, antequam sit bonum? id est antequam reale  
illud accedat?

6. Quin & de ista bonitatis ratione, quaret, Anne sit ens? Et  
si Ens ecquid bona? Et si bona, nunquid seipsa, an per aliquid super-  
additum? Si seipsa: jam nulla superest causa, quo minus & Ens se-  
ipso bonum sit i. e. nullo reali accedente alio. Si per superadditum  
de eodem sese ingerit quaestio eadem, in infinitum.

7. Rationis erga quippiam est quo dotatum, Boni rationem  
Ens induit. Quod Ecquid positivum vel negativum sit, conjectura  
facile assequemur, si illud expeditum fuerit (quod hujus loci proprium  
est) In quonam formalis ratio Boni consistat? Boni inquam;  
cujus ea est ratio ad omnia, quae bona dicuntur, qualis Entis ad  
omnia Entia.

8. Nimirum hoc est, quod Boëthius monebat, in hac contem-  
platione ipsum etiam primi Boni animo oportere praesentiam amoveri,  
quo sub vera imagine sua, (quae generalis) sese intellectui sistat. Ut  
mirum videri non debeat, si, quicquid definitionum Boni, (plures  
enim) vel Academici (ad primum analogatum, videlicet Deum respi-  
cientes) vel Stoici (quibus bonum est, quod honestum, quod sincerum,

A 8

quod



quod natura absolutum) venditant, id sincerum & absolutum in hoc foro nostro non habeamus.

9. Aristotelem ergo in Loci definitione investiganda, secuti, ad animi nostri consistorium vocabimus omnia ea, quae cogitatione de Bonitate suscepta, cuiquam sese offerre possint: recto iudicio litem, de herciscunda boni familia resoluturi, hoc modo.

10. Bonum consistit, vel in ratione appetibili; vel finis vel perfectionis; vel convenientia: Et huius quidem, vel Entis cuiusq; ad seipsum; vel ad aliud.

11. Et quidem pro Appetibili causam egregie Arist. 1 Eth. c. 2. imò sententiam dicit inquit: Recte dixerunt Bonum esse quod omnes appetunt: hoc est: Quod appeti dignum est: vel appetitum movere natum est. Ita enim accipi oportere, quae in definitionibus collocantur voces, regula docet, & tot probant exempla.

12. Veritas autem sententiae ejusmodi est, quam obscuram esse non patitur, vel communis experientia, rerum omnium (ut magna appetitus, de quo alibi, latitudo est) testimonijs firmata; vel ipsa appetitus natura, quae unaquaeq; res tendit, & fertur ad bonum: quod bonum ita voluntatis habetur objectum, sicut Verum Intellectus.

13. Quomodo quidem fit, ut prava etiam & quae ex se bona non sunt, specie boni accepta, appetitum excitare queant: quatenus inquam speciem illam accipiunt: de quo ad 1. Eth. differitur latius.

14. Neq; his tamen obstantibus, Perfectio ipsa ad rationem Boni propius accedere videtur: Cum sine dubio, Ens omne, quatenus Ens, perfectum sit: & ipsum esse, perfectionem designet: quam transcendentiū à consortio neq; divellere quisquam potis est, neq; tamen peculiarem affectionis ei dignitatem ascribere ausit; & alteri cuidam rectius conjungi non posse, res ipsa clamitat.

15. Omne enim perfectum, bonum. Et bonum omne, perfectum. Hinc Bonum à Platone definitum in Philebo: Quod continet, quicquid perfectionis sua natura requirit. Et Aug. l. 3. de lib. arb. c. 15. Quicquid est, sicut esse debet, bonum est.

16. Anselmus vero in monol. c. 14. in definitione Perfecti, bo-

num



num: involuit. Et Arist. 5. Met. c. 16. Perfecti significationes declarantur per bonum: Et easdem utriusque vel species vel partes animadvertere promptum est.

17. Ipsa ergo perfectio vel bonitatis rationem sustinebit omnem: vel saltem bonitas, relatione constitui videbitur ad aliquid, à quo Ens unumquodque perficiatur, quatenus ab illo perficitur. Bonum enim (uti constat) est perfectum. Et perfectum absolute, est summe bonum. Perfectum autem dicit relationem ad omne id, quod est perfectivum illius. Ergo & bonum.

18. Quid vero si ita argumentemur? Bonum formaliter includit negationem mali. Malum autem est defectus perfectionis debita. Ergo Bonum, possessio ejusdem.

19. Atqui tamen quæ pro fine vel relatione ad finem dici possunt, his ipsis inferiora non sunt. Quin imò, quicquid perfectioni in hac causa juris est, id omne sibi vindicat Finis. Τέλος enim est, quo τέλος esse agnoscitur, quod est: Imò quod bonum est.

20. Praclare Arist. ἀπὸ τοῦ ὅτι ἡ ἀρετὴ κατὰ τὸν νοῦν, καὶ διὰ τὴν αὐτὴν φύσιν, τέλος ἐστίν. 3. Met. 1. 3. vide. 2. phys. 1. 31. 1. Eth. c. 1. & c.

21. Nec dubium est quin quatenus finis est nomen istud, (vide Scal. de pl. p. 102. 103. & nostri vocabuli finem, confer usum) & causalitatem (propter quod agens agit &c.) exerceat, quatenus est bonum. Ad quem relata, perfectionem suam accipiunt media. Ut intelligas, & finem primario bonum esse: & eandem boni, quæ finis relationem.

22. Verum enim vero etsi omnibus his ac singulis magna cum Bono intercedat cognatio formalem tamen ejus rationem qui Relationi convenientia reservaverit, non antiquam solum, & Augustino (cont. Ep. Manich. c. 30 37. de nat. boni c. 4. & 7. &c.) probatam: sed & veram tenebit sententiam, communi hominum, de bono loquentium sermone, & conceptis primo insinuatam: quæ sola tanta bonorum latitudini responderet: quæ pari cum Ente passu ad inferiora descendit: quam appetibilitas ipsa, tanquam Bono intimis quippiam præsupponit & sequitur.

23. Neque enim quia appetitur res, idcirco etiam bona est: Sed  
quis



quia bona; ideo appetitur. Bona vero tum demum iudicatur, si rei  
conueniens sit. Quomodo quidem sit, ut eadem res pro diuersa eo-  
rum, quibus vel conuenit, vel disconuenit, conditione, nunc bona  
nunc mala sit.

24. Conuenientiam hanc, siue quis cum Aug. congruentiam,  
aequalitatem, concordiam, proportionem, competentiam &c. dicere  
velit, mihi perinde fuerit: si de re modo constet: sub cuius uidelicet  
ratione appetitus in rem bonam fertur: quamq. appetitus ipse non  
nisi à posteriori designat. Ut illam Boni 1. Eth. c. 2. definitionem, si  
pro essentiali haberi debeat, non injuria taxet Plot. Enn. 6 l. 7. c. 3.  
& seq. Quamuis, ut à posteriori ductam, recte defendat Thom.  
1. Eth. Versor, & alij ibidem & alibi.

25. Fundamentum ergo appetitus, bonitas est: & ratio, sub  
qua appetitum concitat, ipsa conuenientia: ut Thomas ostendit de  
verit. qua 1. Quicquid enim appetimus, inquit Fons. aut conuenit  
nobis aut alijs rebus, quibus illud appetimus: aut certe putamus id  
nobis aut illis congruere.

26. Quàm multa pueri appetunt ut bonas quia conuenire sibi  
putant! sapientes debortantur, ut à malis quia non conuenire in-  
telligunt. Quo & ipso, si quis absolutam aliquam Boni naturam (ex-  
clusa relatione) sibi investigandam putauerit, frustra se esse animad-  
uertat, eum & rerum, & temporum, & locorum &c. varietati illa  
mire obnoxia sit.

27. Vtne tamen Boni aliqua hinc exurgat in constantia & prae-  
gnas consilio Arist. 3. Eth. c. 4. 10. Eth. c. 2. & 5. satis prospectum est:  
nec metus ille nos tangit, quibus Transcendentalis hoc loco Bonitas  
attenditur, facili negotio, & plane qualis in appetitus ratione fuit,  
simili obseruantia à tunc distinguenda.

28. Bonum enim cum habeat appetibilis rationem (inquit  
Thom. 1. p. q. 5.) importat habitudinem cause finalis. Et idem l. 1.  
cont. Gent. c. 38. Bonum habet rationem finis, eo modo, quo & appetibilis.

29. Largiamur ergo & hic cognitionem summam: sed qua  
in unam tamen notionem formalem minime coalescant: cum & latius  
pateat



patet bonitas (nempe & mediorum est) & natura prior sit: adeoq;  
finis relatione omni praecisa, adhuc rei inesse concipiatur.

30. Tum enim demum causalitatem finis res induit, cum &  
bona est, & bonitatem suam efficienti insinuat, qua cognita, efficiens  
& appetere incipiat, & actu ipso ad prosecutionem ejus movetur.

31. Ita nimirum in Bonitate, ut fundamento ac basi, relatio  
tum finis, tum appetibilis, ut dixi, recumbit: salva cujusq;, qua  
differunt invicem, formalitate & ratione propria; qua clarius re-  
fulgebunt, nudo eo quem perfectionis cum essentia & bonitate affi-  
nitas necit, soluto.

32. Id cum breviter faciendum sit, pro loci angustia; clarissi-  
me etiam fieri poterit, certarum assertionum constitutione: quarum  
haec I. Omne Ens reale, eo ipso quod non sit nihil, in se perfectio-  
nem quandam, & bonitatem sibi convenientem habet. II. Omne  
quod hujusmodi bonitatem in se vere habet, reale Ens est. III. Et  
hoc modo, Bonum & perfectum, sunt inter se idem: & in re, idem  
cum ipso Ente. In re, inquam: ut intelligas distinctionem quandam  
intervenire tamen, rationis: qua & formalem quandam, sibiq; pro-  
prium consequantur rationem, eademq; Enti superaddita, in nume-  
rum veniant affectionum Entis.

33. Et hinc est, quod Ens quidem ipsum concipi queat, ut per-  
fectionis tamen aut bonitatis notio adhuc lateat. Hinc etiam est, quod  
Perfectum & bonum, distinctas affectiones non constituent: cum  
formalem, (hoc modo,) rationem obineant eandem.

34. Ea vero in possessione ejus quod sibi per naturam convenit,  
reposita, rectissime explicatur negatione defectus, in quolibet Ente, quod  
tale ens est.

35. Perfecta, inquit Averr. 5. Met. l. 25. dicuntur illa, quo-  
rum nihil invenitur in eis, per quod dicuntur imperfecta in eis. Et  
sic quidem ipsa cujusq;, rei natura, & essentia, nullo etiamnum opera-  
tionum superveniente respectu, in seipsa dicitur esse perfecta: ipsaq;  
materia, & forma, quibus, res in suo esse constituitur & perficitur,  
perfectiones rei merito habentur.

110



36. In creaturis (inquit Suar. d. 10. S. 3 a. 5.) perfectio hæc alia essentialis seu intrinseca est, alia accidentalis. Prior (sub qua ipsum esse comprehenditur) Enti convenit inseparabiliter, ab essentia videlicet ipsa promanans; adeoque cum Ente convertitur. Posterior vero (qua comprehendendo, quicquid ex natura rei, ab Entitate actuali eiusque rei distinguitur) necessario non inest: eaque ratione Ens omne non est bonum i. e. affectum omni perfectione sibi debita.

37. In universum tamen Quicquid participat ratione Entis, eo modo, quo illa participat, etiam participat ratione boni. Id quod uno verbo dixeris, Ens omne esse bonum, quatenus ens.

38. Ut ergo Ens se habet ad sua inferiora, ita & bonum ad sua, quod Arist. 1. Eth. c. 6. est *ἰοῦχῶς* dici τῶ ὄντι.

39. Et sicut Ens aliud perfectum simpliciter, infinitum &c. aliud secundum quid, & finitum: ita & aliud perfecte bonum, aliud imperfecte. Et sicut Ens imperfectum, dicitur participare quodammodo de non Ente, & inclinare ad nihil, ita imperfecte bonum dicitur participare quodammodo de malo seu defectu. Et quemadmodum Ens non dividitur in Ens & nihil, sed in Ens simpliciter, & Ens secundum quid: ita Bonum non dividitur in Bonum simpliciter & malum simpliciter: sed in bonum simpliciter, & bonum secundum quid; &c.

40. Porro autem ex in trinseca isthac Entis cuiusvis bonitate, alia emergit, videlicet ad aliud; quæ designat perfectionem alteri convenientem: Et hanc relationem (ad aliud) Enti superaddens, iterum facit, ut omne Ens quatenus Ens, sit bonum.

41. Inductione hoc entium omnium, qui velit, liquido probaverit. Nos quartæ assertionis (vide th. 32.) loco ponimus hoc, Bonum videlicet istud, non esse idem cum perfecto; quamvis videri possit coincidere cum perfectivo. Ad reliqua, notamus & hoc, quod malum dupliciter accipi debeat, formaliter inquam (ut designet convenientiam & defectum perfectivi) & pro eo quod hunc defectum sustinet: perinde ut Bonum, aliter pro ipsa formali ratione accipitur, aliter, pro habente bonum. Ex quibus diversa oppositionis illius ratio facile dissolvitur, de quo plenius disserendi cum hic locus non sit, alibi videbimus; una cum questione hac, An hæc convenientia ad alterum, sit ad Deum tantum, an v. ad quodvis aliud? Cui & Boni (si quæ sunt & quales sunt) species adungere, & omnem mali rationem explicare est deliberatum. Corollaria v. superioris dissertationis, cum & plura, & gravis & controversa admodum sint, etiam hic assumi poterunt.











lud contineri quod voce unius exprimitur, & affertur, superiori disp. th. 49. & seq. constitutum esse, nempe unum non esse Indivisionem sed Ens significatiu videlicet adequato. Indivisionem vero Entis rationem, Enti superadditum, rationem unius


38. In Unitatis autem notione cum duplici conceptus, 1. Entitatis indivise, 2. privationis Enti iuri possit, Nunquid unum primò dicat Ens, vel i primum illum conceptum secundo anteposimus. quod superiori disp. th. 36. iam ante constitutum

39. Quibus recta ratione comparatis facit inquit Arist: Unum non esse prater Ens: unum esse naturam, propterea quod se invicem sequantur una ratione significantur: 4. Met. t. 3. & quod i aut simpliciter, aut prout est unum, indivisibile est. Ego enim qua unus sum, individuus sum, neq. s quemadmodum homo universale, ut in aliis hominibus. Qua vero sum quantus, dividuus sum. &c.

40. Neq. obscurum esse potest, quàm plane rationes Tompleri 2. c. 3. q. 11. eò quod unum non vel indiviso: sed Ens indivisum. Et (verba absurda non sit, tribuere Deo nomina privatiua imperfectionem significant, cum id, cuius absentia imperfectionem importet.

41. Imò vero, si extra ens consideretur unum non designati: ita omnem quam habet, ab Ente etiam respectu magis & minus accipit: Et omnino ipso, quatenus ens, vel tale Ens, simplicitatis vel imperfectionis vel imperfectionis est, id omne unitati rationem cum Ente, commune est.

42. Ex eodem hoc fundamento enascitur, quod respondendum est: In quibus ut pleraq. recte dicuntur concluditur, veritati sententiae proposita nequaquam



the scale towards document

077

Image Engineering Scan Reference Chart TEX3 Serial No.